



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Illvstrissimis Saxoniae Dvcibvs, Federico Sacri Imperii Electori & Euvsqve
Patriveli Georgio, Erasmvs Roterodamvs, S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277



ILLVSTRISSIMIS SA-

XONIAE DVCIBVS, FEDERICO SACRI IMPERII ELECTO
RI &c. EIVSQVE PATRVELI GEORGIO, ERASMVS
ROTTERODAMVS, S. D.



T ab his uiris, quos fortunæ calculus mundi guber-
naculis admouit, Federice ac Georgi ducū incorru-
ptissimi, haud exegerim anxiam atq; exactam scholasti-
carum disciplinarum cognitionem, in quibus qui consue-
rint, eos ferè sensu etiam communi carere uidemus, tantum
abest, ut tractandis rerum habentibus sint idonei, ita ue-
hementer ab istis dissentio, qui reges prorsus ab omni
librorum commercio ceu re noxia ablegant, perinde qua-
si hoc demum uere regum sit, nihil omnino uel scire,

uel agere, præter aleam, uenatus, moriones, & his etiam sordidiores uoluptates.
Cum quibus enim amicis libentius confabuletur cordatus & pius princeps, quam cum
iis, qui & semper præsto sunt, et sapiunt plurimum, & nihil loquuntur ad gratiam.
Verum nullis ex libris mea sententia, plus utilitatis capi possit, quam ex eorum mo-
numentis, qui res publice priuatimque gestas, bona fide posteris prodiderunt,
praesertim si regalis philosophiae decretis imbutus huc accesserit. Etenim qui in
hoc munere, rerum gerendarum exemplum, quam gestarum fide spectare ma-
luerunt, hactenus modo profunt, quod boni principis simulacrum oculis subijci-
unt, si qui tamen id scite uereque effinxerunt. Cæterum ex bonae fidei scriptoribus
super alias innumeras, hæc precipua capitur utilitas, quod non alia res æque, uel
bonorum regum animos ad res cum laude gerendas accendit, uel Tyrannorum
cupiditates cohibet ac refrenat, dum utriusque cernunt horum literis suam uitam
omnem, mox in totius orbis, imo seculorum omnium Theatrum producendam, &
quicquid nunc uel in abdito patratur, uel ascito furo prætexunt, uel metu dissimula-
ri cogunt uerius quam ignorari, paulo post clarissima in luce sub oculis omnium
traducendum, cum iam metu pariter ac spe libera posteritas, nec ullo corru-
pta studio, magno consensu recte factis applaudet, pariterque libertate his diuer-
sa explodet

α 2



fa explodet exhibilabitq;. Nec em̄ arbitror quentq; tyrānum, sic penitus omnem
 hominis sensum exuisse, ut uitam sibi iucundam ducat, si norit suum nomen.
 apud posteros omnium atatum ac nationū, tam inuisum & execrabile fore, q̄ est
 Neronis, Caligulae, Heliogabali, Commodi, ad quorum mentionem, ceu porten-
 torum uerius quam principū, nemo iam non despuit, non abominatur, non de-
 testatur. Nam Vitellius uiuus etiam male gesti Imperij poenas dignas dedit,
 quas & Nero daturus erat, ni supplicij foeditate deterritus, ipse sui carnifex esse
 maluisset. Quod quidem exemplū utinam in hac usq; tempora duraret. Nunc
 enim nihil est impunitius, quam quod nulla fatis grauis animaduersio pensare
 queat, male obiti magistratus culpa. Iam in ceteris historiae dotibus, quantum
 alijs quisq; tribuendum putet, ipse uiderit suo arbitratu. Illud opinor apud eru-
 ditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi
 Suetonio, qui, ut quidam non infestiuiter dixit, profusus ea libertate scripsit Cae-
 sarum uitas, qua uixerunt ipsi. Propemodū æquarunt Suetonium hac sanē lau-
 de, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Vulcatius Galli-
 canus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus, licet eloquentiæ uiribus sermonisq;
 politie multo inferiores. Proinde mihi quidem digni uidebantur, ut eorum lucu-
 brationes studiosi summa fide seruarent, quorum fide factum est, ut tantarū re-
 rum tam certa memoria duret in hac usq; nostram atatem. Ac Suetoniū qui-
 dem nescio quo deo propicio, & antehac non ita passim deprauatum, nunc eru-
 ditorū meaq; opera purum, ni fallor, & integrum habemus, suffragāte mihi ad
 hoc negocij, peruetusto quodā codice, quē ē bibliotheca monasterij, apud Ner-
 uios olim, nūc Tornacēses, uulgato cognomine diui Martini, nobis exhibuit no-
 bilissimus ille Gulielmus Montioius, qui id tēporis regias uices ea in urbe gere-
 bat. Reliquos, quoniā nullo huiusmodi praesidio subleuabamur, qd' unū licuit,
 multo certe minus deprauatos dedim⁹. Eosq; omneis uestri nominis lenocinio
 orbi cōmendare uisum est, uel uestro in me studio, uel erga bonas literas animi
 p̄pensione ut id auderē prouocato, quo uidelicet uiri, imaginibus & opibus dari,
 magis ac magis in his philosophari cōsuescant, & uelut ad speculū uitā moresq;
 cōponere. Primū em̄ dū uidemus mutatū orbis Romani statū, tanto sanguinis
 humani impendio cōstitisse, ea res pium certe principem à temere nouandis re-
 bus deterrebit. Deinde spectare est operæ precium, quā æstuarijs uicibus, Euri-
 pi cuiuspiam ritu, res humanæ sursum ac deorsum uoluantur, ni solida principū
 sapientia, et incorrupta uirtus fluxum hunc sistat inhibeatq;. Quin & illud subit
 admirari, in tanto principū numero uix paucos extitisse tolerabiles, paucissimos
 probos, plerosque non improbos modo, uerum etiam ostenta mera, merasq;
 pestes humani generis, multos etiam mente captos. O nouam seculi calamita-
 tem, cum uni furiosæ bestiae totus seruiret orbis, & ingemiscens eandem cane-
 ret cantionem, quam seruus Carion apud Aristophanem ὡς ἀγέλοιοι. Et tamen
 huiusmodi portenta, parricidijs, sacrilegijs, incestis, breuiter, nullo non dedecorū
 genere impurata, templis, aris, ac diuinis honoribus donabat hominum adula-
 tio, fortunæ, uel magis sceleribus tribuens, quod uirtuti dari cōsueuit. Quis post
 hac

hæc, recte factis grassetur ad nominis immortalitæ, si cœlum datur ijs, qui indigni erant ut terram contingerent? Nam quod Domitius & Cōmodus uterq; sceleratissimus, dei uocabulum uiui etiam usurparunt, quis non uidet manifestaræ cuiusdam insanæ fuisse, uerius quàm impudentiæ? Porrò quibus de causis hoc acciderit, nondū mihi satis liquet, siue quod ipsa fortunæ magnitudo, pluri-
mas res secum defert, quæ bene nata, recteq; instituta ingenia queant corrūpere. Id quod facilius credet, qui perpenderit Neronis adolescētiam laudatissimæ indolis fuisse, & quo non alius adhuc fuit orbi pestilentior, optimi tamen principis spem initio de se præbuisse, Tum ab hoc multo post, Bassianū Getæ fratrem priuatus ageret, uirum integrum ac sanctum, pessimum egisse principem, Siue quod ut quædam nauigia immodice magna, uastaq; regi non queunt, ita totius orbis imperiū maius est, quàm ut unius hominis animo sustineri possit, cum perdifficile sit domum etiam unam recte administrare. Itaq; qui maxime cupit optima, tamen Maronis illud cogitur dicere,

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Quod opinor intelligens Octauius Augustus, uir eruditus ac perspicax, & quod in Cæsaribus rarum comperies, perpetuo sanus, non semel de deponenda imperij mole cogitauit, & fecisset, si nactus fuisset in cuius humeros citra publici status perniciem onus redinare potuisset. Siue, id ijs rebus magis ascribendum est, quas permultas quidem at non omneis tamen in Aureliano retentet Flauius Vopiscus. Et tamen in tanta malorum principum turba, reperiatur licet dignas sancto principe cogitationes, audias uoces absoluto principe dignas, comperias exempla in quibus nihil desideres. Inter ethnicos inuenies, qui Christiano animo reip. gerent imperium non sibi, qui tam laboriosæ administrationis non aliud spectarent præmiū, quàm ut de rebus humanis benemererentur, qui publicam utilitatem liberorum affectibus, imo suæ suorumq; incolu-
mitati præferrent. O nos felices, si Christiani principes suæ quisq; ditioni præstarent animum, quem Traianus, quem Antonini duo, quæ Aurelius Alexander, orbi terrarum præstiterunt. Quin illud etiā mirandum, repertos, qui ad imperatorem de imperatoribus non solum libere uerū etiam contumeliose scribere auderent. Nam hodie id quidam exigunt, ut de sceleratissimis quoq; regibus honorifice scribamur, id agentes ne quando libertatis exemplum in ipsos recidat. Sed multo magis ad rem pertinet, in his contemplari, nomen illud imperij, quod & olim orbi sacrosanctum augustumq; fuit, & nunc etiā multorum affectibus religiosum ac uenerabile est, cū nihil ferè super sit, præter inanem magni nominis umbram, quàm fœdis iniurijs in mundum irrepserit. Primū in Iulio scelerate, mox in Octauio Lepido & Antonio sceleratius. Quid nō potest fortunæ libido in rebus humanis? Potestas ea quam postea dñs æquauit hominum consensus, impietate, cædibus, parricidijs, incestis, tyrannide, condita cōsecratq; fuit. His felicibus auspicijs cœpit illa regibus adorata maiestas. Ac sceleratius ferè propagata fuit quàm nata. Fœda barbarorū militum colluies, non suffragijs, sed insanis tumultibus dominum orbi dabat. Nec alia succedendi lex, nisi

mactato superiore. His auibus auspicabantur imperium, quod nihilo fecius ta-
 men interim emendū erat, quantūq; inexplebili militū auariciā libuisset. Nec
 fatis erat in unū sauire caput. Ad liberos, ad affines, ad amicos omneis crudeli-
 sima laniena proferebatur, ac saepenumero reciprocantibus, ut sit, uindictā uici-
 bus, quos uiros, quas matronas effera immanitas indigne laniabat. Saepē pluri-
 bus hinc & hinc imperiū ad se trahentibus miscebātur omnia. Ita semper ad no-
 uum imperij successorem, totus terrarū orbis concutiebatur. Summa rerum in
 manibus erat, non senatus, non populi Romani, sed mercenarij facinorosiq; mi-
 litis. Nec aliter imperare licuit, neq; diutius imperare licuit, quā illis beluis colli-
 buisset, qui nec bonos, nec malos principes diu ferre poterāt. Alius parcior erat,
 alius profusior, alius eruditior q̄ uellent, alius matri obsequentior, alius milita-
 ris disciplinā tenacior, alius imbellis, alius immodice bellator, alius in senatū pro-
 pensior, alij cognomen obstabat militi parum gratiosum, alij affinitas. Quā-
 libet leuis causa fatis erat istis ad iugulandum orbis principem. Deniq; ut nihil
 esset causae, expediebat illis subinde mutare principem. Infatiabilis habendi fa-
 mes, ad res nouandas incitabat. Trucidabatur ut inutilis, quem iam exuxerant,
 accerlebat alius qui exhauriretur, mox & ipse trucidandus. Atq; hisce rebus fa-
 ctum est, ut nonnullorū imperiū paucis modo mensibus, nonnullorū paucissimis
 etiā diebus finiretur. ut me quidē inter legendū crebro subeat admiratio, fuisse
 ullos qui uellent imperij uices capeffere, cū tot exemplis didicissent, quibus legi-
 bus esset suscipiendū. Et hoc honoris sic uenditū, imo locatum, imperium uoca-
 bāt. O miserum ac deplorandū illorum temporū statum. Oppressa senatus au-
 toritate, oppressis legibus, oppressa populi Romani libertate, sic creato princi-
 pi seruebat orbis, princeps ipse seruebat ijs, qualē nemo uir probus domi uel-
 let habere seruū. Imperatorē timebat senatus, imperator scelestam illam militū
 turbā formidabat. imperator leges dabat regibus, at huic leges dabāt cōducticij
 milites. Summa rerū orbis ab armata paucorū temeritate pendebat. O magni-
 ficā & exoptandā omnibus monarchiā. Et tamē nescio quo pacto, uelut ex com-
 posito conueniebat inter Caesares & milites Caesarū dominos, quos legimus ali-
 quoties se decimari passos ab ijs, quos mox erant suo arbitratu iugulaturi, qua-
 si uices alternas inter se pacti, dominandi ac seruiēdi. Hæc cum ita habeāt, neq;
 enim negari potest, illud oportet expendere, num eiusmodi sit nobis optandū
 imperium, si iam olim obsoletum, uotis liceat restituere. Quod si nemo sanus
 optaturus sit, quanto minus quod iā multis seculis maxima ex parte sit antiqua
 tum extinctumque, magno rerum humanarum tumultu, summāq; Christiani
 sanguinis iactura, uindicandum ac reuocandum uidetur? præsertim cum inter
 ethnicos etiā hoc animo repertus sit Otho, ut potius duxerit spontanea mor-
 te uitam abrumpere, quā imperium tot hominū uita mercari, uir uel ob hoc
 ipsum dignus imperio, si fortuna uirtuti faueret. An parum est suam quanq; re-
 gionem habere dominum, nisi singulae rursus alium haberent dominum, con-
 duplicata populi seruitute? Nec hæc dixerim quod negem optimū esse resp. sta-
 tum monarchiam, si modo is ad æterni numinis exemplum quantum potentia
 ceteris

caeteris antecellit, tātundē uincat & bonitate sapiētīāq; sed partim quod, ut sunt hominum ingenia, haud scio an huiusmodi quispiam possit contingere, partim quod etiam si maxime contingat, non arbitror capacē esse tantæ ditionis unius mortalis animum. Etenim qui uectigalibus exigendis tantum agit imperatorē, is quiduis est potius quā imperator. Non desyderabit orbis monarcham, si Christianos principes inter se iunget concordia. Verus & unicus orbis monarcha CHRISTVS est, in cuius edicta si nostri principes cōsenserint, sub uno principe uere florebunt uniuersa. sin humanis cupiditatibus res gerentur, aeterna rerum uicissitudine semper fluctuabimus iactabimurq;. Et tamen maximam huius felicitatis partem ipsi nobis præstare possumus, si concordibus studijs ad id quod per se optimum est, contendamus. Atq; ego sanè ita demum arbitror felices fore respublicas, si principes sancte Christianeq; instituti, simul atq; susceperint regnum, pariter & animum regno dignum suscipiant, publicis cōmodis metiantur consilia omnia, ab omni Tyrānidis specie uelut à peste abhorreāt, ac pro se quisque certet, quod sortitus est regni, non amplius, sed melius successorī tradere, omnes pariter adnitantur, ne bellum ullum sit, potius q̄ ut bello uincant, neq; ullis sit opus copijs, magis quā ut his rebus sint instructi, pacis artibus magni uideri studeāt, quæ consilijs animiq; uiribus constant. Equidē si quid nouari possit absq; rerū tumultu, iudicari ad publicā orbis Christiani tranquillitatem magnopere pertinere, si certis foederibus ex usu publico sua cuiq; ditionis pomeria præscribātur, quæ semel constituta nullis affinitatibus, aut pactis, uel contrahi possint, uel proferri, prorsus antiquato ueterum titulum iure, quos quisq; p̄ re nata, bello affectato, solet prætexere. Quod si quis forte damnet, ius nescio quod suū adimi principibus, is illud mihi secū reputet uelim, num æquum censeat, ob huiusmodi iura, quæ siue habet aliquis fortassis, siue fingit, orbem Christianū impijs ac parricidalibus armis sine fine collidi, tot innoxios aut interimi, aut perdi, tot immeritas scēminas affligi corrūpiq;, deniq; totā illā malorū tragediam, quæ bellum omne secum defert, in uitam hominū inuehi. Nam his fontibus omnia ferè bella, quæ nostra memoria uidimus, p̄fecta esse constat. Verum hæc non tantum παρρησια uideri possint, uerum etiā impudentius ad uos scripta, principes ut magnos, ita cū primis sapiētes, ad hæc, quod est in ista fortuna rarissimū, librorum etiam præsidijs cum primis instructos. Siquidem tuas eximias Federice dotes cum sint insigniter insignes, non mirū si fama celebritas ad nos usq; deuexit. Te uero illustrissime Georgi, patrueli laudatissimo per omnia similem ac uere germanū è propinquo cognoui, dum Phrysiā nobis finitimā administrares. Bene Valetate principes uere felices, stemmatis quidem illustrissimi, sed ornāmētis animi longe illustriores. Istos animos uobis seruet CHRISTVS OPT. MAX. uos orbi Christiano, uestriq; similes nobis cōplures uelit existere. Antuerpiæ Nonis Iunijs. AN. M. D. XVII.